

non modo non detrectavit, sed aliquanto a reliquis cum 1431 parte navium proiectus, ferociter etiam capessit. Venetus primo hostis audaciam miratus, ubi omnia armis micare vidit, ratus, quod erat, cum terrestribus copiis sibi rem fore, continuo trepidissimis nunciis aliis super alias missis, Carmaniolæ significari jubet, Picinimum & Sforciam cum suis copiis secum manus conseruisse: orarent proinde, ut si rem Venetam salvam vellet, subito & ipse auxilio adesset. Ferunt, illum ad eam nunciorum trepidationem, ut iracunda erat natura, excanduisse: altaque voce Venetorum errorem detestatum, qui, suo spreto consilio, eam pecuniæ magnitudinem in terrestres copias non contulissent: *Nec credere se, ita esse, ut illi nunciarent: sed Praefectum ipsum, armati hominis speciem exhorrentem, in navibus hostium gigantes natos somniare.* Anceps interim prælium erat, & jam inclinante die, quatuor Veneti *Galeones* harpagonibus ab hoste comprehensi, pugnam cominus conferebant: gerebaturque res jam, non ut ante, bellicis tormentis sagittisve, sed gladiis, veruto, securibus in hunc usum comparatis. Demum quatuor illis sub noctem amissis, reliquæ Venetorum naves, quæ cum hoste congressæ fuerant, se in pristinam stationem receperere. Picininus, subductis navibus, quas ceperat, Sforciaque cum cohorte una in naves accersito, quarta noctis vigilia Grimaldum in hostem denuo movere jubet. Certus erat Venetæ classis Praefectus configere, & quo magis terrestrium copiarum auxilium desperaverat, eo intentius accuratiusque suos ad pugnam instruxerat. Prima igitur luce, ubi classes in conspectu fuere, horrendis utrinque clamoribus prælium poscebatur. Terrestris pugnæ speciem Venetus imitatus, naves velut in procinctu stantes locavit: ratus fore, ut crebris machinarum ictibus hostium turmæ, quæ bellatorum numero suis longe firmiores essent, procul distineret. Quod ubi ductores ipsi animadvertere (nam ita fane erat eventurum, ut ille animo conceperat) continuo suos remis incumbere, perque omnia discrimina pugnam cominus conferere jubent: quo repente facto, manicis

*Veneta clas-
sis aquis
Padanis
proficata
est.*